
PRAESULI VENERANDO ET MERITORUM SENIIQUE AUCTORITATE...







Esine nunc fractas hominum reprehendere uires,
Saecula qui priscis nostra minora putas.
Ite, humiles animae, stupefactaque corda ueterno;
Ite, quibus languent membra, rigentque gelu:
Accusate dies et longae taedia uitae,
Atque annos rugis canitieque graues!
Non in deterius semper prolabitur aetas;
Nec, quae aliquando fuit, ferrea semper erit.

Haud

Haud omnis titubat torpetque annoſa ſenectus,
Aut tremit effoeto corpore laxa cutis.
Ignea uis animi naturaque ſurgit in annos,
Summaque nec uitæ tempora perdit hiems.
Laurus ut usque uiret, nec pulchrae frondis honores
Deterit; illaeſum ſic tenet illa decus.
Teſtis FABRICIVS, quem nunc uenerantur ad Elmum,
Ac dignis celebrant laudibus, Aonides:
FABRICIVS, quondam noſtri quoque gloria Pindi;
Noridis at nondum non memor ipſe ſuae.
Iam decies octo pluresque hic computat annos;
Nec procul a ſaecli limite tempus abeſt:
Ille tamen uiuit, quodque eſt mirabile dictu,
Succreſcente aeuo, robora plura capit.
Illi non feſſae marcent ad munia uires;
Sed curae, iuueni quae placuere, placent.
Perſtat mens uegeta, et nullis conatibus impar;
Nec perit in uultu, qui fuit ante, uigor.

Con-

Condit adhuc doctas uentura in saecula chartas;
Deque libris cultos extruit ipse libros.
Iam solers ueterum, iam tot monimenta recentum,
Excutit, et mira dexteritate refert.
Nouimus hinc melius sacrata uolumina Patrum,
Quaeque pii passim composuere uiri.
Multa recognoscit Themis hinc sua lumina iuris;
Multaque, quae facili promsit Hygea manu.
Explicat ingenii pulchras Sapientia dotes,
Miraturque suas hic quoque Phoebus opes.
Cernimus hic legimusque excusa senilibus annis,
Qualia uix aetas florida scripta daret.
Non est, quod iactet sua quondam exempla uetustas,
Varronisque sui prodita scripta senis:
Non, quod Nysseni referat, pluresque labores;
Ponimus hoc contra pristina saecla caput.
FORTVNATE SENEX, qui post tot lustra, tot annos,
Viuida tot mentis das documenta tuae;
In quo naturae reuirentis imago recurrit,
Seque iterum nasci tempora prisca uident:

Dic,

Dic, quaeso, tanti fuerit quae caussa uigoris?
Quidque istas uires ingeniumque paret?
Quae tibi succurrant faustis ex collibus herbae;
Longaeuosque annos quae medicina iuuet?
Scilicet haec firmae felicia semina mentis
Ipsius coeli munere nata foues.
Acrius incaluit patrii uis sanguinis in te;
Et tibi maiorum nomina calcar erant.
Non minus ardebas, tibi cum doctrina DILHERRI,
ARNOLDIque cati, subdere uisa facem est.
Nutriit hos magnus quondam CONRINGIVS ignes,
Et quos tunc alios IVLIA DOCTA tulit.
Multum SAVBERTVS, multum te noster amauit
DVRRIVS, ingenio mitis, at arte potens.
Inflammata semel nescit requiescere uirtus,
Altaque mens semper, quo recalescat, habet.
Quasquas ostendunt, Germania, Gallia felix,
Et Latium, et tellus Belgica, uisis opes.
Ipsa tibi Pietas portis bipatentibus aedes,
Ipsa suas pandit docta Minerva domos.

Arti-

Artibus, et uario polles sermone disertus;
Nec paucis populis aemula uerba refers.
Non satis est, uixisse tibi; tua lumina spargis
Latius, et multos demeruisse iuuat.
Nulla tuae uacua est tibi pars, aut prodiga, uitae;
Scripsisti iuuenis, scribis et ipse senex:
Ipsa nouas uires aetas capit; inque senecta
Vis animi assiduo firma labore uiget.
Enituit uirtus et magna scientia rerum;
Menteque PRINCIPIBVS consilioque places.
Trans mare Fama uolat; transque altas diceris Alpes
Et te docta uirum nouit ubique cohors.
Quam tibi facundo FERRARIVS ore fauebat!
Quamque tui cupidus MAGLIABECHVS erat!
Officiis certans et adhuc te saepe lacessit,
Ingens Musarum, FACCIOLATVS, amor.
Creuerunt anni, uos et creuistis, honores;
Nec uirtus uno est surgere nisa gradu.
Patria perpetui seruat monimenta fauoris;
Teque suum celebrat IVLIA Musa decus.

Nunc

Nunc tibi gratantes plaudunt utrinque Camenae;
Inque tuo geminus nomine Pindus ouat.
Si tibi non aptum reddit pro munere munus;
Teste tamen grates carmine NORIS agit.
Te uates alii, quanto decet ore, loquantur;
Vllaque nec careat laudibus hora tuis:
NORIS pectoribus fidis tua nomina seruat;
Proque salute tua fert pia uota DEO.
O uiuas plures, PRAESVL VENERANDE, per annos;
Et placido coeli munere perge frui.
Det tibi, det Numen, quod aues, quodque ipse precaris;
Serius et Superum sidera celsa petas.
Sic tecum Coniux memorabile transigat aeuum;
Fataque sic uobis semper amica fluant.
Sospite sic tecum ualeat quoque Natus, & olim
Illustret gentem cum seniore senex.
Naturae uincas leges; saluusque uirensque
Vel Pylii superes tempora magna Senis.
Exemplum, tua sit longa aetas, uitaque felix,
Quod ceu mirandum saecla futura canant!

